



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Tota huius capitis visio imaginaria describitur. Sectio Prima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

C O M M E N T A R I U M

PRIMUM EXEGETICUM.

De secunda visione Ioannis.

Tota huius capituli visio imaginaria describitur.

SECTIO PRIMA.

- I. **P** R I M U M, Ioannes per visionem imaginariam vidit ostium apertum in caelo. Secundò? Audiuit vocem tanquam tubæ secum loquentis, (vbi quemadmodum ex Græco contextu patet, illud, *Loquentis*, ad tubam refertur,) in hæc verba: *Ascende huc, & ostendam tibi que oportet fieri cito.* Tertio, Ascendit eò in spiritu, id est, per visionem imaginariam: viditque sedem in caelo positam, & quendam in ea sedentem, qui referebat colorem lapidis Iaspidis, & Sardij: vbi est aduertendū, non esse sermonem de Iaspide lapide vulgari, sed de Iaspide pretiosa gemma: de qua loquitur Plinius lib. 37. cap. 8. vbi docet Iaspidem esse ex gemmis viridibus, reperi etiam aëri similem, & caruleam circa Thermopontem amnem, purpuream in Phrygia, caruleam ex purpurea in Cappadocia. Et cap. 9. eiusdem libri fusè disputat de Iapidum generibus. Sardius autem est ex gemmis ardentibus, vt idem testatur eodem lib. cap. 7. Quarto, Sedem, siue thronum circumquaque ambiebat pulcherrima Iris, in qua viridis color præ cæteris eminebat: quod significatur cum dicitur, *similis visioni smaragdina.* Est enim smaragdus viridium gemmarum præstantissima. Quintò, In circuitu sedis erant sedilia viginti quatuor, seu viginti quatuor throni, vt habetur Græcè, in quibus sedebant viginti quatuor seniores, amicti stolis albis, coronas aureas capitibus gestantes. Sextò, de throno illo, quem Iris ambiebat, fulgura, voces ac tonitrua personabant, septemque lampades ante thronum ardebant: *Quæ sunt*, inquit Ioannes, *septem spiritus Dei*: erantque ante thronum tanquam mare vitreum simile crystallo. Septimò, In medio, & in circuitu throni erant quatuor animalia plena oculis, intus, antè, & retrò, & in circuitu. Quorum animalium primum erat simile leoni. Secundum, simile vitulo. Tertium, simile homini. Quartum, simile Aquilæ volanti, habentia singulas alas senas, noctu, & interdum sine intermissione dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venturus est. Octauò, Dum animalia sic in throno sedentem laudarent, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, adorantesque proiciebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt. Atque hæc de imaginaria visione Ioannis: nunc ad mysteria veniamus.

Plinius.
Iaspide,
gemma pre-
tiosa.

visio,